DECRETA DIOECESANAE FLORENTINAE SYNODI. CELEBRATA AB ILLUSTRISS. AC...

Diocesi di Firenze, Leo papa; 11



DECRETA

DIOECESANAE FLORENTINAE



FLORENTIAE

In Officina Sermartelliana.

MDCIII.

ALEXANDER MEDICES

M[illegible]



[illegible] omnes, [illegible] voluntate effectis com[illegible] omnia emendanda, & a[illegible] quæ pro animarum commissarum salute, & necessaria, & a[illegible]modata esse viderentur. In quo negocio, conscii sumus, nihil a nobis esse prætermissum, quod posset hoc consilium, & amorem, & charitatem nostram vobis declarare. Hinc illi quotidiani familiares congressus, & assidua ferè tractatio, de rebus ad officium nostrum pertinentibus. Hinc illæ Visitationes sine incommodo, & impensa ecclesiarum, etiam per Delegatos, facilè, quando, & temporum, & locorum, & negociorum ratio non patiebatur, hoc opus à nobis personaliter perfici posse. Ex

quibus exercitationibus illud, Domino adiuuante est consequutum, vt magna cum voluptate, iam cerneremus, vos & omnes promptos & intentos esse, ad exequenda Decreta sacrosancti Conc. Tridentini, & Prouincialis, & Aedicta, quæ ambo s... ta- ... per-

..., quam cer... ...ulu immineat ..., qui in via Dei non progrediuntur. Ita enim ...pifcentes dilecta tabernacula Domini, ...ssonatis ...ones in cordibus vestris, vt cum benedictione legislatoris, euntes de virtute in virtutem, videatis Deum Deorum in Syon.

DE RESIDENTIA.



VAMVIS nulla ferè hoc tempore culpa appareat Pastorum, qui Gregi suo non inuigilent, neque assistant, tamē cum in re tam graui summa sit perpetuò cura & diligentia adhibenda, Idcirco sacro S. Concilii Tridentini & Prouincialis vestigiis inhærendo districtè præcipitur & mandatur omnibus & singulis Plebanis vt saltem quolibet mense se informent, & accuratissime exquirant An illi quibus cura Animarum commissa est, in propriis ecclesiis personaliter resideant, ac per seipso vt tenentur muneri suo Pastorali satisfaciant, & Nomina non Residentium ad Vicarium deferant sub pœna scutorum viginti quinque, mandati executiue & excommunicationis in subsidium.

NON possint autem sub eadem pœna Plebani & cæteri Curati à propriis ecclesiis vltra duos dies nō sestiuos pernoctando discedere, nisi ex causa legitima ab ipsis Plebanis quò ad Curatos, & quò ad Plebanos à viciniori Plebano vel à teste Synodali maturè probanda ac Vicario infra mensem significanda.

BENEFICIA verò quæ ita tenuis sunt redditus, vt vix Rectorem habere possint, ipso facto intelligantur commendata Ecclesiæ curatæ viciniori, donec pro qualitate temporis loci & personarum prouideatur quod magis Dei seruitio & animarum saluti iuxta dictorum Conciliorum Decreta visum fuerit opportunum.

QVIN & illi qui eius generis ecclesias curatas obtinent, aut in futurum ad eas ordinati fuerint iuxtá formam Constitutionis S. D.N. Sixti V. nullo modo possint dictas ecclesias quauis causa aut quæsito colore deserere & derelinquere sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & habita notitia post quindecim dies immediate sequentes quorum quinque pro primo &c. à Plebanis in Ecclesia Plebis & in ecclesia cathedrali de mandato Vicarii sic excommunicati debeant publicari.

DE PAROCHIS.

PAROCHI iuxta Decretum sacrosancti Conc. Tridentini debent oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbiq; Diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum ac miserabilium personarum curam paternam gerere.

DE AGNOSCENDIS SVIS OVIBVS.

HABEANT igitur Parochi librum in quo describant suorum Parochianorum nomina, distinguendo singulorum sexum, etatem, statum & conditionem vt quotannis & nascentium & morientium & discendentium notitia verificetur.

DENVNCIENT statim Vicario Concubinarios, vsurarios, sortilegos, blasphematores, & omnes alios publicos peccatores, quin etiam huiusmodi peccatorum suspectos teneantur Plebanis notificare ad hoc vt facta diligenti inquisitione ac monitione de communi

muni consilio nisi se emendauerint Vicario deferantur.

Habeant præsertim rationem & litium & inimicitiarum quæ summa cum diligentia, & charitate ad pacem, & concordiam sunt ab ipsis Parochis reducende.

DE SACRIFICIORVM Oblatione.

NVLLO modo prætermittant sacrificia offerre pro populis, & Missas dicant eo tempore & modo quo Ecclesiarum obligationibus & suo officio satisfaciant, prout de iure tenentur, aut consuetudine laudabili antiqua, quæ non minor quadraginta annis sit, expresse declarando quod Parochi qui dominicis & festiuis diebus populares suos Missis defraudant in pænam incidant vnius auri pro qualibet vice.

Qvam pœna extendatur etiam ad sacristas & alios deputatos ecclesiarum quarumcunque ad quos dicendarum Missarum ratio & computum pertinet.

Et vbi pro modo facultatum onera Missarum supportari nequeunt huius Synodi Decreto intimatur quod vocatis vocandis coram Vicario compareant ad hoc vt sacrosancti Conc. Tridentini authoritate statuatur quod magis ad Dei honorem & cultum videbitur expedire.

DE PRÆDICATIONE.

DOCEANT etiam Populum quòd sicut Pastoribus est iniunctum onus prædicandi verbum

 Dei

Dei, ita consequenter eis oritur audiendi obligatio.

ET quando pueri ad discendum doctrinam christianam vocantur, parentes & superiores non venientium postquam fuerint moniti, debent Vicario notificari, ad hoc vt pro modo culpę & negligentiæ ab eo arguantur, & interim illis parochi Sacramenta non ministrent, nisi in casu necessitatis.

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE.

SACRAMENTA omnia gratis & ea puritate debent a Parochis administrari, vt non tantum simoniæ sed etiam auaritiæ labes & suspitio penitus amoueantur, Illudque semper Parochi sibi propositum habeant quod in Sacramentorum administratione nulla potest negligentia excusari.

DE BAPTISMO.

FONS Baptismalis sit lapideus mundus nitidus pulcher, & vndiq; bene clausus.

SACRARIVM coniunctum habeat in quod vel in aliquod vasculum Aqua quæ super Baptizati caput infunditur, influat, & quo ad fieri potest in eundem Baptismi fontem non reincidat.

INFANTES statim vel saltem infra biduum baptizentur in Ecclesia Baptismali, & non alibi, neque extra Diœcesim, sine aliqua legitima causa, neque in domibus nisi necessitate vrgente, quo casu cum Baptizati ad ecclesiam pro sacramentalibus & ceremoniis adimplendis deferentur, adsit etiam qui domi bapti-

baptizauit ad hoc vt baptizans cognoscere possit An forma rite prolata fuerit, vel sub conditione sit baptizandus, aliàs parentes infantis pœna arbitrio Illustrissimi Domini puniatur.

INFANTES expositi nisi aliqualiter constet quod sint ritè baptizati, sub conditione baptizentur.

OBSTETRICES autem quę vt plurimum in casu necessitatis baptizare solent, accurate examinentur à Parochis, & doceantur de forma, neque hanc artem exercere possint nisi fuerint à Parochis approbatæ cum licentia in scriptis quæ gratis detur.

LEVANTES etiam de sacro fonte reiciantur non solum qui in sancto illius anni paschate confessionem communionem omiserint, sed etiam qui orationem dominicam, simbolum & præcepta Decalogi ignorant.

ITEM pueri minores quatuordecim annis, Religiosi, meretrices, criminosi, infames, & aliàs publici peccatores.

SED neque Parochi aut curati neminem suæ parochiæ leuare possint.

NON solum in ecclesiis Baptismalibus sed etiam in omnibus aliis curatis retineatur liber, in quo describantur Nomina Baptizatorum atq; leuantium cum die mense & anno & natiuitatis & baptismi, & ad hunc effectum recurrere poterunt curati ad librum Ecclesiæ baptismalis, quando aliàs a parentibus baptizatorum non fuerit curatis notificatum, quod ab ipsis fieri debere sæpe populares suos doceant & admoneant sub pœna arbitrii Illustrissimi.

DILIGENTER etiam inquirant Parochi An Infantes infra annum teneantur in lecto contra prohibi-

tionem

tionem, quæ fieri debet sub pœna excommunicationis, & inobedientes ingressu ecclesiæ prohibeantur donec aut capsula aut alio modo & inobedientiæ & vitæ periculi occasionem fugiant.

DE CONFIRMATIONE.

SIGNIFICETVR à Parochis tempus Confirmationis & ab eis instruantur omnes qui Sacramentum Confirmationis recipere volunt, quod non nisi post septennium & annos discretionis cōferendum sit. Et quando ieiuni ob iustam causam accedere non possunt saltem peccata sua confiteantur. Eorum nomina a Parochis describantur in libro ad hoc specialiter destinato, & ab eis tantum fascia dissoluatur.

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

TABERNACVLVM in quo tantum asseruari debet sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sit omnino diligentissime compactum, & a parte interiori sit panno serico decenter coopertum, & corporali substractum, & in pixide argentea optime deaurata qua ad communicandum & nullo modo patena quilibet curatus vtatur, & qualibet hebdomada particulæ renouentur.

VASCVLVM vero in quo ad infirmos defertur simili modo sit argenteum & deauratum secundum facultates, & decenti velo semper coopertum, & eo modo in deferendo accommodetur vt neq; ventorum neque pluuiæ periculum habeat; & irreuerentia caueatur.

In Civitate Florentiæ & in oppidis & villis vbi commode fieri possit sanctissimum Sacramentum or particulæ ad infirmos deferantur vt semper redeundo ad Ecclesiam cum omni deuotione & solennitate aliqua particula reportetur, & psalmi deuote tam in eundo quam redeundo recitentur etiam ab his qui comitantur vel associant Sacramẽtum, qui quidem quolibet mense siue in confraternitatibus siue in congregatione populi eligantur, & postquam reuersi fuerint cum sanctissimo Sacramento benedicantur, & publicentur indulgentiæ.

Moneant Parochi populum vt imitando pietatem & deuotionem summorum Principum quando sanctissimum Sacramentum occurrit debent omnes saltem vsque ad domum infirmi associare.

In domo autem infirmi sit parata mensa in qua sanctissimum Eucharistię Sacramentum deponatur est corporale & patena quousque compleantur ea quæ ad præparationem infirmi pertinent, & lectum sit pro qualitate personarum cum omni munditia adornatum.

In purificatione laici non vtantur calice sed aliquo alio vase vitreo vel argenteo formam calicis non habente.

Absentes etiam in sancto tempore Paschatis cum redierint debent legitime fidem facere de communione, vel in propria parochia, Canoni omnis vtriusque sexus. Satisfacere, aliã deferantur eorum nomina ad hoc vt contra eos iuxta Concilij prouincialis decretum procedi possit.

DE

DE POENITENTIA.

PAROCHI quolibet Anno saltem in principio Quadragesimę declarent & exponant etiam vernacula lingua vbi opus erit canonem omnis vtriusque sexus, ad hoc vt intelligant populi quàm grauiter corripi debent ii qui frequenter peccata sua non confitentur.

NEGLIGENTES vero & qui vsque ad hebdomadã sanctam confiteri distulerint specialiter annotentur, & salutaris pœnitẽtia eis iniungatur, cum manifestè demonstrent quòd non virtutis amore & charitate, sed quasi formidine pœnæ ad tam necessarium & salutare opus inducantur. Et qui semel tantum in anno confitentur non statim ad communionem admittantur. Sed per id temporis spacium probentur quo Parochum intelligere valeat eos conuersionis & nouitatis vitæ propositum habere.

NON audiant Parochi confessiones eorum qui non sunt ex diœcesi.

ADMONEANT etiam quòd infirmi debent quanto citius confiteri, & confessor qui non sit proprius Parochus teneatur statim notificare Parocho infirmitatem, ad hoc vt possit ipse suo officio circa infirmitatem cum omni charitate satisfacere.

IN confessionibus requirat pœnitentes An sint confirmati, & qui no curauerint à Parocho describi iniunctæ eis ac etiam parentibus pœnitentiæ describantur.

PVBLICE peccantes publice pœniteant; prout magis ad ædificationem populi pertinere Illustrissimus Dominus iudicauerit.

Con-

Confessarii aduertant ne confessio cum aliquo alio confessario incepta dimidietur.

Parochi in audiendis confessionibus Cotta & Stola vtantur, & in omnibus confessionalibus affigatur Bulla cenæ Domini, & Casus Reseruati, & forma absolutionis.

Parochi rurales non audiant confessiones in ciuitate nisi sint ab Illustrissimo Domino generaliter approbati.

Ex Vrbani non possint audire confessiones in ecclesia cathedrali, nisi de licentia superioris.

Missarum eleemosinæ distributiones siue restitutiones per confessarios a pænitentibus non recipiantur, sed aliis committi curent.

Confessor qui non approbatus audire confessiones ausus fuerit ipso facto sit excommunicatus cum nullo modo ea quæ pro animarum salute exerceri debent fiunt in perniciem conuertenda.

DE EXTREMA VNCTIONE.

VALDE etiam curandum est ne sine extrema vnctione decedat aliquis infirmus qui in periculo mortis constitutus fuerit. Neque etiam est faciendis deneganda modo signum contritionis ostendant vel petant, vel verisimile sit quod petiissent si possent, atque illud semper meminerint quod potest quis facile ex collatione huius Sacramenti ad vitam æternam consolare.

Parochus cum ad conferendum Sacramentum extremæ Vnctionis procedit, superpelliceo & stola indutus Ministro cum cruce sine hasta præcedente ab-

 quem

quem de septem psalmis recitando incedat.

ADMONEANT circumstantes orare pro infirmo.

ET notentur in libro ad hoc specialiter destinato nomina Parochorum quibus distribuuntur singulis annis olea sacra, quæ non deferantur nisi per in sacris ordinibus constitutos.

DE MATRIMONIO.

MATRIMONIA extra Ciuitatem secundum formam sacrosancti Concil. Tridentini cum benedictione anuli & aliis sacerdotalibus cæremoniis pro decentia in ecclesia parochiali sponsæ, & nullo modo in priuatis Domibus nisi de licentia Vicarii celebrentur.

DENVNCIATIONES fiant post contracta sponsalia, & de commissione vel ipsorum sponsorum vel eorum parentum & superiorum, vt penitus constare possit de libera contrahentium voluntate, Et in libro annotentur acta eo ordine quo gesta sunt, tam circa sponsalia quam circa denunciationes.

NON admittantur ad contrahendum nisi eo anno confessi & communicati, & qui sciant Rudimenta necessaria videlicet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam Simbolum & præcepta Decalogi.

ET quo ad benedictionem nuptiarum si alter sponsorum semel receperit benedictionem, alter tantum benedicatur secundum consuetudinem loci.

DVM denunciationes fiunt & ante benedictionem sponsi ita sint separati vt nullo modo cohabitent, nec conuersationem habeant adinuicem sub pœna arbitrii pro qualitate personarum.

SPON-

Sponsalia nisi ad coniunctionem peruenerint in facie Ecc. debent post duos menses Vicario notificari.

DE ORDINE.

PAROCHI ad hoc vt possint bonum præbere testimonium ordinandis indicent populo tempus ordinationum & nomen eius qui voluerit ordinari, ad hoc vt orationibus populi ordinandus ita possit adiuuari, vt de vita & moribus ordinandi quod sentiunt libera voce pandant, & fidelem Domino Sacerdotem & ministrum à Deo habere mereantur.

Et pro exequutione Bullæ S. D. N. Sixti V. taxatum intelligatur & sit patrimonium videlicet redditus quadraginta Ducatorum, ad quod ordinari debent, quando necessitas aut vtilitas ecclesiæ postulauerit, & hoc casu declaretur graue scelus esse fraudem aut simulationem committere, Et præterea tam ordinandi quàm omnes alii qui huiusmodi simulationi & fraudi consensum consilium & fauorem præstiterint arbitrio Illustrissimi Domini & censuris in subsidium punientur.

Ad ordines promoti confiteantur frequenter peccata sua, ac sæpe communicent.

Regulares non ordinentur nisi fidem authenticam de professione exibeant, & in iuramento affirment se sponte fecisse iuxta Bullam Pii V. in explicatione Concilii Tridentini sess. 22. cap 2.

DE EXEMPLO BONORVM OPERVM.

AD pascendum populum exemplo bonorum operum ab iis rebus Parochi abstineant quæ propter

 nimiam

nimiam familiaritatem solent facilè suspitionem & irreuerentiam causare, idcirco non frequentent sine causa domos parochianorum, neque cum illis de rebus secularibus vane tractent aut colloquantur. Non ludant pila aut alio ludo etiam licito publice, cum in eo grauitas aut sacerdotalis modestia vix retineri possit.

DE CVRA MISERABILIVM PERSONARVM.

TANDEM tanquam in summa omnium bonorum operum se exerceant Parochi in eleemosinarum pro modo facultarum largitione, & ita miserabilium personarum paternam curam gerant, ne Puellæ ob paupertatem pudicitiæ periculum incurrant, neque illi qui propriis laboribus possunt sibi victum parare ob ignauiam ad mendicitatem confugiant, sed infirmos & in carceribus detentos non solum visitare, verum etiam quocunque modo possint pro necessitatibus studeant subleuare.

DE CONGREGATIONIBVS A Parochis quolibet Mense faciendis.

QVAE omnia facilius exequi poterunt si quolibet mense omnes Parochi cum decenti habitu & de rebus ad eorum officium pertinentibus mature collatio fiat & cōsultatio, & præsertim de casibus conscientiæ, in qua congregatione Diuina officia cum omni reuerentia celebrentur, & in mensa cum benedictione & gratiarum actione vno tantum ferculo sint contenti, adeò vt populus in festis exemplum

plum simplicitatis & parsimonię seruare valeat. Et in omnibus festis post vesperas ad proprias Ecclesias reuertantur, neque vllo modo spectatores sint aut ludorum aut chorearum sub pœna scutorum decem.

DE ECCLESIIS.

ECCLESIA etiam ruralis sit pauimento strata, & tam quò ad ostia quam quò ad fenestras ita clausa & bene tecta, quod bestiis auibus atque imbribus non pateat, munda ornata dealbata & quo ad melius fieri posit altaribus & paramentis decentibus saltem necessariis sit munita.

CAVEAT Rector ne ipse nec quiuis alius Ecclesia tanquam horreo pro cuiuscunque generis rebus conseruandis vel reponendis vllo modo vtatur sub pena scutorum xxv. pro qualibet vice.

RECTOR nullo vnquam tempore in ecclesia in qua præsertim Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum seruatur deambulari, altaribus ac fonte baptismatis inhærere, neque in ea pernoctare permittat.

IPSÆQVAE ecclesiæ non ornentur cum imaginibus laicorum.

GRAMMATICAE humanarumque literarum rudimenta tanquàm in ludo literario in ecclesiis sine Vicarii licentia non doceantur.

PAROCHI moneant & sæpissime inculcent vt populus in ecclesia tempore suo stet sedeat & genuflectat ea modestia & deuotione qua decet, & qui contumaciter postquam in facto charitatiue correpti fuerint noluerint obedire ad Vicarium deferantur.

SVPELLECTILIA ecclesię & alię quecunque ad Diuinum

uinum cultum destinata in prophanos vsus conuertere aut commodare tam clerici quam secularibus sit prorsus omnibus interdictum.

PRAETEREA districtè præcipiendo mandamus ut nõ solum qui beneficia consequentur iuxta prouisionem Concilij Prouincialis & Bullam S.D.N. Sixti V. sed etiam Capitula Collegiatarum, nec non & Gubernatores quarumcunque ecclesiarum tàm cum cura quàm sine cura, Cappellaniarum, hospitalium, oratoriorum, & aliorum piorum locorum quorumcunque conficiant inuentaria omnium rerum & bonorum ad ecclesias & ad alia supradicta loca quomodolibet pertinentium, exprimendo qualitates, & quantitates atque confines eorum cum assistentia Rectoris vel Massarij & vnius ex senioribus populi, qui propria manu subscribant, præter subscriptionem Gubernatorum & Rectorum sopranominatorum, quæ inuentaria ad curiã Archiepiscopalem infra terminum quatuor mensium à die publicationis Synodi præsentari debeant in manibus infrascripti Cancellarij sub pena xxv scutorum applicandorum locis pijs arbitrio Illustrissimi D. Cardinalis.

DE PARAMENTIS.

PARAMENTA benedicta ita sint omnia munda vt intelligat populus quòd tanquam ad Diuinum cultum destinata, & reuerentiam, & deuotionem erga ea habere debet.

COLORES secundum tempora quantum fieri potest in eis seruentur iuxta Missalis Rom rubricas, neque ob paupertatem quis excusari possit, cum simpliciora & viliora non reiiciantur.

Et

Et vt facilius munditia seruari possit Sacerdotes in sacrificijs vino albo vti curent.

DE DIVINIS OFFICIIS.

CLERICI pensum Diuini officij persoluendo cum Deo colloquuntur & ideo omni attentione vti debent, præsertim in choro in quo exactè seruentur omnia quæ ex antiqua ecclesiarum consuetudine, & Concilij Prouincialis constitutionibus sancitum est, & secundum Bullas summorum Pontificum quæ hoc loco summariæ annotatæ sunt.

CELEBRETVR festum duplex S. Annæ matris Gloriosæ Virginis Mariæ die 26 mens. Iulij, ex Bulla S. D N. Gregorij xiij sub dat Romæ Klen. Maij 1584.

FESTVM duplex Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis Die 25. mensis Nouembris ex Bulla Santissimi D. N. Sixti V. publicata de Anno 1585 In quo fit officium sicut in die Natiuitatis eiusd. mutato nomen Natiuitatis in Præsentationem.

FESTVM duplex s. Nicolai de Tolentino ordinis eremitarum s. Augustini die x Septembris, ex Bulla S. D. N Sixti V sub dat. Romæ Klen. Ianuarij 1585.

FESTVM simplex sanctorum martirum Ianuarij Episcopi & sociorum eius die 19 Septembris, ex Bulla eiusdem S. D N. Sixti V. sub dat. Romæ Klen. Februarij 1585.

FESTVM duplex s Antonij de Padua ordinis mino. die 13. Iunij, ex Bulla eiusdem S. D. N. Sixti V. sub Dat. Romæ 19 Klen. Februarij 1588

FESTVM duplex s. Francisci de Paula ordinis minimorum fundatoris die 2. Aprilis ex Bulla eiusdem

S. D.

S. D. N. Sixti V. sub Dat. Romæ Klen. Octobris 1585.

Festum duplex s. Petri martiris ordinis prædicatorum die 29. Aprilis ex Bulla eiusdem S. D. N. Sixti V. sub Dat. Romæ idibus Aprilis 1586.

Festum duplex s. Bonauenturæ seraphici Doctoris die 14. Iulii ex Bulla eiusdem S. D. N. Sixti V. sub Dat. Romæ pridie idus Martii 1587.

Festum simplex sanctorum Placidi & sociorum martirum die V. Octobris, ex Bulla eiusdem S. D. N. Sixti V. sub Dat. Romæ idibus Nouembris 1588.

Seruentur in omnibus Rubricæ Breuiarii & quotannis conficiatur tabula officii pro diœcesi Florentina, ab iis qui fuerint à Vicario deputati, & postea à Vicario approbata, quam tabulam sequi teneantur omnes Diœcesis Clerici ad dicendum officium Romanum obligati.

In nocte Natalis Domini, matutinum ea hora finiatur vt prima Missa debito tempore post mediam noctem celebretur.

Versiculi psalmorum & alia quæ per organum cantari solent eodem tempore repetantur in choro submissa voce, & totum simbolum Apostolorum etiam in ecclesia metropolitana semper voce & nullo modo organo canteiur.

Cantores Cappellæ & alii dum canunt in cappella superpelliceo & habitu presbiterali vtantur.

Vesperæ autem festis diebus in Ecclesiis ruralibus vbi cantari non possunt ob defectum ministrorum saltem intelligibili voce deuote recitentur, & ita fideles ad retinendum & augendum cultum Diuinum excitentur.

DE

DE CVLTV ET OBSERVATIONE FASTORVM.

PAROCHI non solum quolibet die dominico inter Missarum solemnia festa de præcepto seruanda in sequenti hebdomada occurrentia alto ac vulgari sermone omni populo publicèt & annuncient, sed habeant etiam descripta vulgariter in tabella publica & patēti loco in ecclesia appensa vt rustici mulieres & simplices personæ omnes intelligant quando festum incipere & quando finire debent, festorum venerationem maximè curando.

MONENDI sunt populi quàm grauiter peccent qui alios in diebus festis ad laborandum inducunt, extra necessitatis causam quę causa probari debet vel ab ipsis Parochis vel ab alijs specialiter à Vicario deputatis, cū facultate licentiā, gratis tamen, concedendi.

COMMONEANT etiam quòd laborantibus & opera seruilia sine licentia in diebus festis exercentibus est imposita pœna.

SICVT etiam est sub pœna Meretricibus prohibitum ad ecclesias accedere in illis diebus in quibus festa aut stationes celebrantur prout in edicto.

DE PROCESSIONIBVS.

AD processiones suo tempore conueniant omnes in ecclesia deputata, & nemo processionis ordinem qualibet ex causa deserat nisi cum licentia sub pœna arbitrii.

OMNES ecclesiæ tam secularium quàm Regularium & Confraternitates in processione S. Ioannis Baptistæ & aliis in pluuialium & paramentorum coloribus cum Metropolitana ecclesia se conforment

NEMO processiones litaniarum maiorum aut minorum sine Vicarii licentia prætermittat, alias pæna X. aureorum qualibet vice punietur.

IN processionibus publicis puellæ nullo modo etiam sub habitu aut significatione sanctarum virginum circumducantur neq; alias aliquid fiat à quibusuis Regularibus quod repræsentationis speciem præseferat.

NEMINI processiones priuatas & extraordinarias extra ecclesiam celebrare liceat sine expressa licentia Vicarii sub pœna arbitrii.

ORATIO quadraginta horarum neque in ecclesiis quibuscunque neque in oratoriis cōfraternitatum indicatur & conuocetur nisi ea forma & modo quæ a Vicario præscribetur sub pæna arbitrii.

DE SEPVLTVRIS.

MORTVORVM corpora de nocte sine licentia Vicarii sepulturæ non demandentur, ac nisi fuerint prius per spatium horarum 24. detenta; Et cognatorum & proximorum publici clamores ac vlulatus tollantur, Et quò ad fieri poterit restituatur antiqua anniuersariorum consuetudo.

NON liceat vendere sepulturas, nec loca pro sepulturis, sed neque de nouo concedantur aut fiant sine licentia Vicarii.

ATQVE illud inuiolabiliter obseruetur vt neq; in Missa neque in officio mortuorum aliquid addatur ritibus & regulis in Missali & Breuiario Romano descriptis, & circa horam primam noctis campanæ signo fideles ad orandum pro mortuis inuitentur.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORVM.

CLERICI lugubres vestes aliàs quam clericales in obitu parentu[m] non ferant.

VIIS publice luditur non versentur.

BALNEI & fluminis lauacro publice non vtantur, nisi necessitatis causa, & tunc cautè & honestè & in locis remotis minusq; suspectis.

AD tabernas & cauponas non nisi itineris vel hospitii causa aut etiam emendi ad victum necessaria, & tunc cum aliqua modestia accedant.

COMMERCIVM & conuersationem cum personis infamibus, & suspectis, nec non in locis similiter suspectis & inhonestis non habeant, nisi in quantum euidentissime salus exposcit animarum, aut alias causa à Vicario cognita & probata.

SACERDOTES & alii Clerici in sacris ordinibus constituti veste quo vulgo dicitur, zimarra, per Ciuitatem & oppida ambulantes non vtantur quòd si contrafecerint incident in pœnam vnius auri pro qualibet vice. & indignationis Illustrissimi Domini iuxta formam edicti super hoc emanati,

CLERICI de nocte post quartam horam hybemo tempore, & post secundam in æstate de domo non exeant sine lumine, & nisi ex iusta causa, & si fieri potest ab aliquo sociati.

NEMO deinceps sibi habitum clericalem ac Presbiterale biretum nisi post primam tonsuram assumat ac deferat, sed à Vicario siue ex eius permissione ab alio petere & recipere teneatur, & semel receptum absq; dicti Vicarii licentia deponere nequeat.

CLERICI non doceant pueros in publicis scholis

neque etiam in domibus priuatorum nisi de Vicarii licentia, quæ gratis detur & fidei professione emissa vt in synodo prouinciali sancitum est.

DE MAGISTRIS.

LVDI Magistri siue publici siue priuati curent vt discipuli frequenter peccata sua confiteantur, & secundum ætatem communicent, illos doceant doctrinam christianam, & circa virtutes instruant vt non solum literarum sed etiam morum magistri dicantur & vere sint. Libros prophanos qui in obscenis versantur non interpretentur nisi fuerant à Vicario annotati & concessi.

DE LIBRIS PROHIBITIS.

SERVETVR omnino Index librorum prohibitorum neque possit aliquis libros venales exponere aut retinere nisi detur Vicario Inuentarium etiã quòd libri sint manuscripti, & quolibet semestrè duo examinatores secundum eorum prærogatiuam deputati intelligantur & sint ad officinas & librarias visitandas.

DE CONFRATERNITATIBVS.

SCIANT laici qui in confraternitatibus conueniunt quòd non aliter poterunt & officio suo & veteri antiquorum pietati ac deuotioni respondere quam si in omnibus & humilitatem & obedientiam exibeant & ideo confraternitates laicorum quocunque nomine nuncupentur quę non habent capitula approbata nullo modo posthac congregari possint.

NEQVE aliquam nouam constitutionem etiam ad tempus faciant pro dictorum locorum gubernatione & directione nisi consulto Vicario.

ILLVD expresse prohibendo ne in eorum congregationibus & conuocationibus vllo pacto directè tractent aut colloquantur de rebus & negocijs secularibus siue de emptione & venditione ad eorum artem & exercitium particulare pertinentibus cum ea loca sint tantùm pro rebus spiritualibus instituta & si quando contra hanc prohibitionem factum sit, locus ipse sit ipso facto interdictus & Gubernatores arbitrio Illustrissimi Domini corrigantur.

QVAE pœna etiam afficiat & locum & Gubernatores quando contra edictum alias publicatum & compotationes & tentacula, & præsertim feriæ quintæ in cœna Domini in dictis cōfraternitatibus fieri cōtigent.

DE IEIVNIO.

ILLVD in primis circa ieiunium seruandum est quod semel tantum in die & post nonam cibi non prohibiti comedantur, & qui vel a tanto vel à toto supra requisito voluerit excusari habeat licentiam à Parocho, & vbi commode fieri potent etiam à Vicario, semper tamen de consilio Medicorum quorum conscientia ita grauiter onerata est vt intelligant medici qui in re tanti momenti facile semetipsos & alios fallunt, quod & diuino iudicio & Vicario peccati non ieiunantium rationem sunt reddituri. In dispensatione autem ieiunij semper aut eleemosina aut aliquod opus pium imponatur.

VBICVNQVE in his Decretis non est expressa pœna semper ad arbitrium Illustrissimi Domini intelligatur reseruata & imposita.

DE



T ut hæc omnia supradictis facilius innotescant & inuiolabiliter obseruari possint: Vnusquisquè Parochus huius Synodi exemplar, quod etiam ad singulorum vtilitatem & comoditatem formis breui compendio excudetur, quamprimùm comparare & apud se retinere sedulò curet, vt quid seruare, quid vitare debeat, melius de cetero vnusquisque sciat. & hoc sub pœna aureorum duorum inobseruantibus, & Arbitrii Illustrissimi & Reuerendissimi D. D. Cardinalis, & Archiepiscopi Florentini præfati. Laus D. O. M.

Iacobus Sebastiani de Cantonibus Cancellarius de mandato & in fidem subss.



INDEX

DECRETORVM

DIOECESANAE FLOREN-
TINAE SINODI.



FINIS.

DECRETA SYNODI DIOECESANAE FLORENTINAE.

Habita XV. Kal. Iulii. Anno MDCIII



FLORENTIAE
In Officina Sermartelliana,
MDCIII.

D



ALEXANDER
MEDICES
MISERATIONE DIVINA
Episcopus Prenestin. S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Florentinus.

Venerabilibus Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicis, & alijs Florentinæ Diœcesis Sacerdotibus S.



YNODVM Diœcesanam, quam nos ipsi præsentes habere maluissemus, nonis quotidie impedimentis detenti a Vicario nostro Generali celebrari iussimus, ne diuiuis rem pluribus nominibus opportunam incerto consilio procrastinaremus. In ea Iudices, & Examinatores, quorum iam laborabamus penuria eligi mandauimus, nec non Pontificias nonnullas constitutiones promulgari, quas maxime duximus expedire. Decreta tamen quam paucissima confici voluimus, ea.n. quæ in Florentina Diœcesi diuino cultui, & Ecclesiasticæ disciplinæ conducere visa sunt, in superiori Synodo constituimus, & diuina fauente bonitate, non eam nacti sumus vineam, quæ nouo semper spinarum & tribulorum squalore siluescat. Habe-

ta

>

tis etiam Prouincialem Synodum, & quæ nos ipsi per triginta annos, quibus vobis Deo miserante præfuimus, paterne, salubriterque pro ingenij viribus, decreuimus, Quæ quidem omnia vberem sane frugem suppeditabunt ad eam morum integritatem, vitæ castimoniam; sacrarumq; rerum administrationem, quæ vere seniores, & in sortem Domini adscitos decet. Hæc oculis frequenter inspicite, hæc animis reputate, hæc operibus adimplete vt placeat conuersatio vestra hominibus, vt possitis petentibus paruulis frangere panem. Hoc a vobis enixe petimus, hoc toto mentis affectu exposcimus, ne nos ad hanc vsque senectutem deducti labores qualescumq; nostros inanes experiamur, sed in Domino gloriemur vobis adiuuantibus fœcundam Deo prolem genuisse, Sint iste viæ vestræ, huc dirigantur cogitationes huc opera. Vigilate super gregem Christi: circuit Leo quærens, quem deuoret, resistite fortes vt cursu consumato legitimi certaminis præmium, coronam iustitiæ reddat vobis iustus Iudex pius, & misericors Dominus. Valete. Romæ Kal. Iul. MDCIII.

DECRETA NOVAE SYNODI.

DE DIVINIS OFFICIIS

DIVINA officia in publicis Ecclesiis celebrētur secundum rationem Romani Breuiarii iussu S. D. N. Clementis VIII. nuper editi. Priuatim vero Clerici, qui ad Canonicarum Horarum recitationem tenentur, & si vetus Breuiarium sequi, non prohibentur, si tamen commode possint, nouum & ipsi habeant, & sequantur.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORVM

CLERICI post tertiam noctis horam æstiuo tempore, hyberno vero post quintam extra domum esse prohibētur. Quod si exire iusta aliqua occasio suaserit, lumen adsit, & si fieri possit aliquis comes.

DE DOTTRINA CHRISTIANA.

PAROCHI tam Vrbani, quam Rurales, & alij, qui ijs Confraternitatibus præsunt, quæ in vrbe ad hoc erectæ sunt, singulis Dominicis, & alijs festiuis diebus conuocent pueros, & rudes ad Ecclesias, maribus a fœminis separatis, & rudimenta fidei, quæ in Doctrinæ Christianę libello traduntur, doceant, & explanent. Declarent Indulgentias a Pio Quinto, & Greg. XIII. docentibus, & discentibus concessas, & hortentur parentes & alios quibus cura puerorum spectat, vt eos statuta hora ad ecclesiam mittant. Rusticis vero filios, aliosq; sibi creditos impedientibus, ne ad tam salutare opus accedant, sacramenta non ministrent, nisi in casu necessitatis: Qui autem docere debito loco, & tempore omiserit, Vicarij Generalis arbitrio puniatur.

NOMINA IUDICUM
DELEGATORUM.

SACRO Tridentino Concilio cautum, est aliquot insignes ac probatas personas sacrorum Canonum scientia præditas ac in dignitate ecclesiastica constitutas in Synodo diœcesana proponi, & eligi debere, quales Bonifatius VIII. sua constitutione præscripsit, quibus, causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes, in hac nostra & Fesulana diœcesibus committantur, cuius decreto inhærendo eliguntur, & nominantur infrascripti.

Admodum Illustr. ac Reuerendissimus D. Alexander Martius Medices Episc. Fesulanus, & nunc & pro tempore eius Vicarius Generalis.

Admodum R. D. Franciscus Bonrianus Archidiaconus Florentinus.

Admodum R. D. Donatus Malegonnella I. V. D. Decanus Florent.

Admodum R. D. Raphael Medices I. V. D. Præpositus Florentinus.

R. D. Iacobus Cantuccius I. V. D.
R. D. Bartholomeus Lansiedinus I. V. D.
R. D. Cosimus ex Comitibus Gherardesche I. V. D.
R. D. Baccius de Gherardinis I. V. D.
R. D. Cammillus de Pandulphinis. I. V. D.
R. D. Thomm. de Ximenes. I. V. D.
R. D. Petrus Niccolinus. I. V. D.
R. D. Franciscus Venturius. I. V. D.
R. D. Cosmus Antellensis I. V. D.
R. D. Andreas de Tanalia I. V. D.
R. D. Horatius Quaratesius I. V. D.
R. D. Laurentius Capponius I. V. D.

(Omnes Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ.)

R. D. Ventura de Venturis Prior Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentij de Florentia.

R. D. Gabriel Buctonius I. V. D. & Præpositus Ecclesiæ Fesulanæ.

R. D. Thommas de Rimbotis I. V. D. Prothonotarius Apostolicus.

DE

DE ZENODOCHIARIIS ET REVISORIBVS PIORVM LOCORVM.

CVM administratores locorum piorum tam Ecclesiastici quam laici singulis annis teneantur reddere rationem ordinario, consuetudinibus & priuilegijs quibuscunque in contrarium nó obstantibus maxima sacrosancti Conc. Trid. vigilantia prouisum est, vt in Synodo Diocœsana viri aliquot quotidianarum rerum non imperiti eligantur, quibus rationem administrationis quotannis de mandato nostro reddant, ad quod pium munus obeundum nominantur infrascripti videlicet.

R. D. Iacobus Cantuccius Canonicus Florent. In vt. Doct.
R. D. Francis. Ripa Can. Collegiata Ecc. S. Laurentis de Flor.

DE EXAMINATORIBVS.

SACRA itidem œcumenica Tridentina Synodus iubet viros aliquot tum doctrina tum morum integritate præstantes in Diœcesana Synodo proponi & eligi, qui iurent ad sancta Dei Euangelia se quacunque humana affectione posthabita, fideliter munus suum exequituros quod est inquirere de vita moribus & scientia illorum quibus ecclesiæ parochiales sunt conferendæ, quibus verbis inhærendo præstante Diœcesis amplitudine nominantur infrascripti.

Admodum R. D. Franciscus Bonciamus Archidiaconus Florent.
Admodum R. D. Simon Fortuna Archipræsbiter Florentinus.
Admodum R. D. Donatus Malgonnella Decanus Florentinus.

R. D. Co-

R. D. Cosmus Filiarcus Theologus.
R. D. Leonardus de Paulis.
R. D. Franciscus Bonuenutus Penitentiarius.
R. D. Cosmus ex Comitibus Gherardeschis.
R. D. Cammillus Pandulphinus.
R. D. Petrus Niccolinus.
R. D. Cosmus Antellensis.
Omnes Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ.

R. D. Ventura de Venturis Prior Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentij de Florentia.
R. P. Magister Thomas de Boninsegnius Ordinis Prædicatorum.
R. P. Magister Don Marsilius Vazquez Abbas Ordinis Cisterciensis.
R. P. Magister Dyonisius Florentinus Seruita, Aut pro tempore R. P. Magister Regens ordinis Seruorum in Conuentu diuæ Annunciatæ de Florentia.
R. P. Magister Franciscus de Tiboldis Floren. Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci in Conuentu S. Crucis de Florentia.
R. Pater Guardianus, Aut R. P. Lector Monasterij siue Conuentus S. Saluatoris de Florentia, Ordinis Minorum S. Francisci de obseruantia nunc & pro tempore existentes.

NOMINA TESTIVM Synodalium.

VETVS est consuetudo sacrosanctis Canonum Decretis introducta, vt singulis Synodis Diœcesanis, viri aliquot Ecclesiastici vita & moribus graues ac spiritualis vitæ studiosi eligantur, qui animaduertant diligenter, an aliquid in vrbe & Diœcesi sit quod corrigi & emendari debeat, & statum Illustrissimo D. Cardinali Archiepiscopo vel illius Vicario generali significent, ad quod munus nominantur infrascripti videlicet.

ADmodum R. D. Leonardus de Paulis Canonicus Florentinus.
R. D. Cosmus de Bartolis Præpositus Emporiensis.

R.D.

R. D. Gaspar de Bonaccis Prior Ecclesiæ S. Niccolai vltra Arnum de Florentia.
R. D. Antonius Berrettarius Plebanus Plebis S. Hypoliti de Castro Florentino.
R. D. Iulius de Deis Plebanus Plebis S. Mariæ de Fagna.
R. D. Franciscus Mutius Plebanus Plebis S. Appiani Vallis Elsæ.
R. D. Mattheus delle Pozze Plebanus Plebis S. Cresci de Valcaua.



INDVLGENTIAE CONCESSAE CONFRATERnitatibus Doctrinæ Christianæ a S. D. N. Papa GREGORIO XIII.

GREGORIVS Papa xiij. Vniversis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. ILLIVS qui pro gregi Dominici Salutatione in ara Crucis immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in Terris omni studio circa salubrem Reip. Christianæ directionem, & augmentum intendimus. Et vt ad ea Christifidelium vota facilius concurrant, ipsos Christifideles spiritualibus muneribus inuitamus. Cum itaque sicut ennp. r accepimus. Dudum fel. record. Pius Papa V. prædecessor noster per suas literas omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus tunc expressis, qui essent descripti in Societatibus seu Confraternitatibus, ad pueros, & alios Christifideles in bonis moribus, & Doctrina Christiana erudiendos, in quocunque loco deputatis, seu deputandis, ac pueros, & Christifideles rudes huiusmodi in præmissis bene instruerent, & qui ab eis instruerentur, in eisdem certis diebus & temporibus tunc expressis, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs Apostolica auctoritate relaxauerit, prout in dictis literis quas idem prædecessor perpetuo valere decreuit, plenius continetur. Nos tam pium, & nunquam satis laudandum opus amplioribus, etiã gratijs, & spiritualibus muneribus prosequi volentes, dictos quadraginta dies, ad centum dies, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ extendimus, & ampliamus. Ita quod personæ supradictæ, præmissa adimplendo non solum dictos quadraginta dies, sed centum dies Indulgentiæ, præfatis rudes, & temporibus, vt præfertur in totum consequantur, & consequi possint. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, vt præsentium transumptis, manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ, apud San. Petrum Marcum sub Annulo Piscatoris, die xxi. Octobris 1572. Pontificatus nostri Anno primo.

Ca. Glorierius.

INDVLGENTIAE PRO CONFRATRIBVS SOCIETATVM DOCTRINAE CHRISTIANAE.

Ad quod vide const. praecedentem.

SANCTISSIMVS D N. Gregorius Papa xiij per literas suas sub dat Tusculi Anno Domini, millesimo quinzentesimo septuagesimo sexto, VI Kl Iunij, Anno quinto Concessit omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, qui in dictam Confraternitatem, Doctrinae Christianae, ex nunc deinceps intrauerit, in eorum ingressu huiusmodi, quotiescunque peccata sua confessi fuerint, & sacram Communionem receperint, decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis.

Item concessit dictis Confratribus vtriusque sexus si confessi fuerint, & receperint sacram Communionem, decem annos, & totidem quadragenas bis in anno.

Item concessit dictis Confratribus descriptis, & describendis centum annos indulgentia quotiescunque in huiusmodi sancto exercitio se occupauerint.

Item dictis Confratribus quotiescunque se in vnum congregauerint, & de rebus ad promotionem & felicem successum institutionis puerorum in doctrina pertractauerint centum dies de iniunctis eis sen aliàs quomodolibet debitis poenitentijs in Domino misericorditer relaxauit

Item dictis Confratribus qui singulis annis semel iuxta determinationem & prouidam ordinationem suorum Superiorum vere poenitentes, & confessi sacram Communionem receperint, necnon eisdem similiter contritis & poenitentibus pro tempore decedentibus, in eius sibi et eorum mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concessit & elargitus est. Dictis literis perpetuis futuris temporibus duraturis.

Cae. Glorierius.

E cc

FINIS.

Z [illegible]

